



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Concilia Galliæ Narbonensis

Baluze, Etienne

Parisiis, 1668

Portuense. 897.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14646



I

CONCILIA
GALLIÆ
NARBONENSIS.

CONCILIUM PORTVENSE
Habitu anno DCCCXCVII.

ILLUSTRANTE gratia sancti Spiritus corda fidelium Dei, conventus factus est Episcoporum sanctorum apud Nemaufensem pagum, loco qui Portus cognominatur, in Ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ, anno ejusdem Domini Dei nostri Iesu Christi incarnationis DCCCXCVII. XIII. Kal. Maij, Indictione xv. Resedente verò in eodem Concilio magnificentissimo Pontifice primæ Narbonensis Ecclesiæ Hernusto, simulque cum eo Gilaranno

A

C O N C I L I A

2
 Episcopo Carcaffense, Agilberto Biterren-
 se, Amelio Vceticense, Bosone Agatense,
 Agilardo Nemaufense, Servo-Dei Gerun-
 dense, Abbone Magdalonense, Abbati-
 bus quoque ibidem venerabilibus sistenti-
 bus, quorum sunt nomina, Froia ex mo-
 nasterio sancti Laurentij Vernupradensis,
 necnon & Vuithardus ex cœnobio sancti
 Iuliani, Albarus quoque Legatus Abbatis
 Durandi ex monasterio sanctæ Mariæ, præ-
 sentibus etiam Presbyteris & Diaconibus,
 ceterisque ordinibus ecclesiasticis & plu-
 rimis religiosis laicis inmodico numero,
 quidam venerabilis Presbyter, Adalfredus
 nomine, unâ cum patrone Ecclesiæ suæ,
 vocabulo Pharaldo, protulit querimoniam
 suam in supradictorum præsentiam adver-
 sùs Abbonem reverendum Magdalonen-
 sem Episcopum, eò quòd Ecclesiam quæ
 est in honorem beatissimi Baptistæ Iohan-
 nis, loco qui dicitur Cocone, illi ab eodem
 Episcopo Abbone adtributam, parrochiam
 ejusdem Ecclesiæ, ex parte subtraxerat in
 villa Cocone, vel in suo terminio, & nisi
 ipsam parrochiam haberet, nec Ecclesiæ
 ipsius nec episcopale servitium se posse fa-
 cere questus est. Præfatus verò antistes
 Abbo dixit quòd jam à longo tempore ipsa
 sancti Iohannis Ecclesia parrochiam,
 quam idem Sacerdos Adalfredus vel Pa-

tronus ejus Pharaldus quærebant in prædictis villulis, non habuerat, sed potius Ecclesia sancti Andochij in eadem villa Cocone posita eas possederat. His verò inter se super hac querimonia altercantibus, reverendi prænominati Præsules percontati sunt qualiter aut ex quo tempore prædictæ decimæ ab eadem Ecclesia sancti Iohannis sublatae sint, vel quomodo Ecclesia sancti Andochij eas legitimè possederit. Supradictus verò Presbyter Adalfredus, pariterque cum eo Pharaldus, responderunt quòd ipsa Ecclesia sancti Andochij non legaliter, sed injustè, eas pro septennio tempore tenuerat, & ab antea per centum ferme annorum curricula Ecclesia S. Iohannis justè atque kanonicè ex prædictis villabus parrocchiam ipsam possederat. Tunc suprascripti Episcopi ab ipso Præsule Abbone exquisierunt ut in omnibus evidentissimè rei veritatem ex hac quæstione proferret. Itaque venerandus isdem Abbo Episcopus, mallens semper veritatem proferre quàm reticere, in conspectu totius sanctæ coadunationis Episcoporum, Abbatum, ceterorumque sacrorum ordinum, atque religiosorum laïcorum ibidem assistentium, professus est prædictam parrocchiam ex jamdicto loco Cocone, exceptis ipsum alodem qui fuit de Episcopo Mal-

domari, vel etiam & quod Aloardus ibidem comparavit, magis justè & legaliter ad Ecclesiam sancti Iohannis Baptistæ debere pertinere, quàm Ecclesiæ sancti Andochij, quæ nuper instructa fuerat, deservire. Audita verò sanctissimi Episcopi omnisque collecta synodus huiusmodi rei prolationem, omnes pariter, Episcopis quidem primùm judicantibus, decreverunt ut Ecclesiæ sancti Baptistæ Iohannis, immo Adalfredo Presbytero, atque Pharaldo patrono ipsius Ecclesiæ, parrocchia prædictarum villarum redderetur, quia longo tempore rationabiliter eam jam possederat, & quod injustè per septem annorum curricula amiserat, justè & kanonicè iterum recipere mereretur per omnium ipsorum rectum iudicium. Prælibatus verò Præsul Abbo perspiciens rectum se iudicium, absque ulla retractatione ipsorum paruit præceptis, restituens in conspectu omnium parrocchiam sancti Iohannis Ecclesiæ, quam olim injustè perdiderat. Visum est autem universo cœtui sanctorum Episcoporum, ut pagina super hoc scripturæ exararetur, atque roboranda eorum manibus deferretur, ut deinceps ministri eiusdem sancti Ecclesiæ Iohannis nullam ex hac re molestiam patiantur.

Ego Abbo humilis sedis Magdalonensis
Episcopus S.

GALLIÆ NARB. 5

✠ Arnustus sanctæ Narbonensis Ecclesiæ
humilis Episcopus S.

Servus Dei humilis Episcopus sedis Ie-
rundenfis S.

Tructarius humillimus sedis Biterrenfis
Episcopus.

Seraldus Archidiaconus S.

Sauvo Archidiaconus S.

Desiderius Presbyter.

Nantigifus Archipresbyter S.

Milo Archidiaconus presens fuit.

✠ Retmarus Presbyter presens fuit.

Teutingus Archidiaconus.

Modicus Georgius Sacerdos indignus,
ac monachus exiguus, hæc supra
..... manu.

CONCILIVM MAGALONENSE,
apud Iunquarias, habitum anno
DCCCCIX.

DISPOSITIONE arcerfiti divina ann.
..... ccccviii. indictione
xii. v. Non. Maij, in Regno Septima-
niæ rias vocato, in
Aecclesia sancti Vincentij, nos perhumiles
Septimaniæ, Hispaniæ, Iesu
Christi Pon Arnustus videlicet
sanctæ Ecclesiæ primæ Narbonæ Metro-